

ANTON. SOLA,
IVRISCONSULTI

TAVRINENSIS, ET IN

Senatu Pedemontanorum Excellentissimo Clarissimi
Causarum forensium Patroni,

Diu desiderati Commentarii

IN CONSTITUTIONES

ANTIQUAS

Ducatus Sabaudia ac Principatus
Pedemontium,

Tam Theoricis, quam Pragmaticis utiles ac necessarii.

CYMITVLORVN, DECRETORVN, SEV

Constitutionum, quas auctor explicat, Feriarum, quas Senatus obseruat,
valoris aurei & monetarum, rerum & materiarum Tabulis.

*Quibus accesserunt TABULAE ANALECTICAE Neapolitani CON-
TROVERSIAE Forenses.*



CVRA ET STUDIO

Collegii Mularum Nouenarum Patneniani,
Quod est

IN NOBILI FRANCOFVRTI.



SERENISSIMO CAROLO EMANVELI, DEI GRATIA DVCI

Sabaudia,

Antonius Sola Iurisconsultus S P.

ROMANI, etsi uniuersis leges tulerunt, dum uniuersis imperarent: legibus tamen ipsis ita omnibus rebus prospici visum non est, quin princeps unusquisq; merito uoluerit subditis, gentiq; sua leges supplere illas, quas subditorum moribus conuenire putaret. Quod Serenissimi Celsitudinis tuae progenitores Principes optimi obseruantes, non minus pacis tempore legibus condendis ad populorum conseruationem incubuerunt, quam belli tempore armis ad propulsandam vim, ac hostium impetus. Quare anno 1430. Dnus Amedeus Dux, populis, ac prouincijs suis amplissimis uolumen unum libris quinque eleganti ordine partitum sanctarumq; Constitutionū resertum promulgauit. Cui semper, sicuti posteri usque ad Dnum Carolum Celsitudinis tuae auum aliquid adiunxerunt: Ita etiā pro morum, & temporum uarietate nonnulla Serenissimus, ac Dnus C. T. inclyta m. Pater immutauit ceteris approbatis, perinde ac si nullo unquā tempore in melius reformari posse uiderentur. Verum enim uero quemadmodum uniuersales leges uniuersalibus negotijs, ita peculiaries peculiaribus omnibus minime sufficiunt: ego plurimum Patrum, qui commentaria ad Constitutiones suorum principum perutiliter ediderunt, uestigia sequutus, licet cum illis minime comparandus, ad commentaria tamen pluribus Constitutionibus conscribenda me contuli ex illis, quas omni reformatione immunes semper uiguisse credidi. Non ut praeiperē, quae ab alijs magno cum desiderio expectabantur: sed quod illi publicis intentis & occupati negotijs ita rem protraherent, ut iam fere dubita-



PROOEMIUM DECRETORVM.

A Medeus Dux Sabaudia, Chablaysis & Augustae, Princeps, Marchio in Italia, Comes Pedemontium, Gebenensis, Valentinesis, & Diensis, Dominusq; ciuitatis Nicia, ac terrarum eidem adiacentium, Illustribus & fidelibus consiliariis, iustitiariis, officariis, ac vassallis, & subditis nostris quoruncumq; statuum presentibus, & futuris salutem, & omnem felicitatem. Iustitia de caelo prodicens, caelestium terrestrium atq; infernorum dominatrix, sicut sua gratuita bonitate mentes humanas imagine & similitudine sua maiestatis decorare dignata est, sic iustitiam originalem eisdem naturaliter impressit, sub cuius norma viuere genus ad bonum aeternum promouendum. Et licet ab huiusmodi iustitia tramite prothoparentum fragilitas boni incommutabilis contematrix, & mutabilis cupida seipsam auerterit, nihilominus populo peculiari suam misericordiam agnoscenti, & misericordiam imploranti ius ipsum naturale specificum per legalia, & euangelica praecepta ab ipso summo rege ordinatissime collatum est. Unde, tanquam a fonte riuuli cuncta iura humana rationabiliter edita fluxisse dignoscuntur. Ad cuius quidem diuini iuris executionem, & mundi huius gubernacula, qui non fato, vel fortuna, sed iussu Dei iudicio regitur, congruissimis temporum successibus sacrosanctae pontificali & imperiali dignitates ex eodem summo principio prodierunt: iustitiam tamquam omnium virtutum perfectissimam arbitranter, cum sit virtus humanae societatis conseruatrice, unicuique quod suum est, constanter distribuens, sine qua vnaguarque aliarum virtutum nihil horum, quae competunt, poterit operari: & ideo praeter ceteris circa ipsius obseruantiam viriliter intenderunt: leges & iura condendo negotiis hominum pro varietate temporum & causarum opportuna. Quarum salutaribus exemplis multi Principes iustitia cultores ad regimen suorum subditorum constitutiones, & statuta sagaciter inierunt. Inter quos nonnulla nostri progenitores inelyta, & nos successime zelo iustitia ducti, statuta felicia in pluribus codicillis redacta condidimus. Sed quia nullum statutum, nullaque lex videntur etiam ab initio sufficiens ad omnia fuisse promulgata, sed multa correctione indige-

re, ut ad humanae naturae vertibilitates & machinationes sufficiat, nostra sollicitudo hominum cupiditates, calumniasq; & omnem tergiversationem abhorrens si quid sit in republica nobis commissa abhorrens si quid sit in republica nobis commissa corrigendum, anhelat corrigere, ut subditi nostri sub omni consistant iustitia. Et quia circa haec sedule cogitantes nonnulla cognouimus tam circa officiariorum, & subditorum nostrorum mores, quam statuta praedicta moderamine digna ad laudem, honorem, & captationem gratiae Dei omnipotentis, iustitiae cultum, correctionem scelerum, incrementum virtutum, subditorum quietem, & utilitatem, litium abbreviationem, ac totius nobis commissae reipub. statum pacificum, & prosperum, statuta nostra praedicta per nonnullos dilectos fideles, & proceres ecclesiasticos, & laicos ad hoc a nobis deputatos fecimus reuideri, atq; reformari iuxta negotiorum, & errorum modernorum exigentiam cum auditionibus opportunis. Reformataq; in hoc compendium unicum sub titulis, & rubricis ordinate positus colligi, deinde per consilium nostrum diligenter examinari: demum, cum ipsius nostri circumspecta deliberatione consilij eadem statuta nostra decernimus, & autorizamus ad perpetuam memoriam, sub quorum regula viuere & reipublica nostra politiam, & iustitiam regere perpetuo nos velle declaramus: & per cunctos officarios, iustitiarios, & subditos nostros immediatos, & mediatos ipsa statuta nostra infra scripta in iudicio, & extra plene & inuiolabiliter obseruari, ac eum tanquam legibus uti, eaq; ubique locorum insignium nostrorum, ut ad omniam nostrorum subditorum notitiam valeant peruenire, publicari volumus, & mandamus. Saluis semper sacris legibus diuinis, & humanis, a quarum obedientia, & vsu propter haec statuta nostra recedere nolumus, nec intendimus, sicut nec debemus: sed potius earum praecepta in his, super quibus ista statuta nostra aliter disponunt, seruare, & saluis etiam bonis, & laudabilibus consuetudinibus nostrorum Ducatus Augustae & patriae Vaudae, qui non iure scripto, sed consuetudine reguntur. Nec non rationalibus capitulis terrarum nostrarum Italiae, Pedemontium, & Prouinciae, quibus per haec statuta nostra derogare non intendimus, nec volumus: omnibus aliis nostris, &